
LACHRYMÆ

AD CONDOLENDUM VIRO CONSULTISSIMO

& PRUDENTISSIMO Dn. CHRISTIANO LUDECO Seniori, Patri: & reliquæ familiæ honestissimæ:

ET AD CONDECORANDUM

FUNUS ORNATISSIMI JUVENIS Dn. SIGFRIDI LUDECI, LL. Stud. filij: quod ducebatur Anno A. C. N. MDCX. V. Kal. IXbris.



STETINI Jmpressum Typis Martini Mulleri.

SIgfrIDo LVDeCo ChrIst. fILI-o, SaCr. LL. Can.

Ad patrem Defuncti.

DIgnus næ meliore, CHRISTIANE
Dignus næ, (nisi Christianus esses)
Fortunâ: lachrymis mades? honestos
Turpi pulvere squallidus capillos?
Fles noctem miser! & vehente amicam
Lucem Sole, negas amica Solis
Fletum lumina tî stitisse posse?
Quanquam commiserescit: (& movere
Posset saxa tuus dolor) Sed absit
Ut noster prohibere, ne furentes
Flammas imbre abolere lachrymarum
Pergas, officiosus ausit error.
Sacri Codicis extulit beatos
Felix pagina, lachrymando si qui
Sêcli invisa terant iniquioris
Istius spatia. ô triumphus! ô tri-
umphus! Nobile, jò jò Fides ô

Virtu-

Virtutis specimen tuæ! Beatos
In cœlestibus efficis, piget quos
Fortunæ miseros: ocellus & queîs
Uber manat aquâ, facis beatâ
Spe plenam lepidè salire mentem.
Felices segetes! seruntur undæ
Mortales, nihilique lachrymarum:
Sanctorum innumeranda gaudiorum
Nunquam intermoritura messis exit.
Jamque ad te redeo Senex dolende:
Audi si vacat à molestiarum
Tantum demere cogitatione;
Audi nuntia grata: queîs jacentem
Erectes animum: quibus tibi mens
In præcordia mox queat reverti.
Vivit gnatus, Amice, Sigefridus:
Vivit filius, Optime ô, Sigfridus:
Vivas ergò dolens pater, revivas.
Vivit, vivere queîs velis cupisque
Ipsum te regionibus beatis.
Vivit conditione; mutet ut quam
Tecum; tu mihi velle, velle verò
(Te quamvis amat) ille non videtur.
Imò divitijs revenditam quam
Nolit quas habet almus orbis.
Vivit, non ea quæ miserrimi nos

Vitæ somnia vivimus: sed ævi
Pervivit spacium beatioris.
Verax vita ubi, vita viva, vita
Æternum vigil: Hîc ubi redundat
Fons vivæ uber aquæ: Hîc ubi natatur
Vitarum Oceano: Hîc ubi videbo
Te, mi CHRISTE tuis fluenta vitæ
Fundentem. Caput ipse vitæ es: ipse
Vitæ copia, & alma plenitudo:
Ipse es vita: sed OMNE tu beatis
Illâ in vitâ eris: ergò vita tantum,
Et vita OMNIA erunt tuis beatis
O si nos rapias celer beatam
Ad sedem! ô rape Christe vita nostra!
At tu CHARE SENEX sepulchra gnati
Orna, consere, sparge lacrymarum
Semente ubere: convehes acervo
Olim gaudia copiosiori.

Φ. χ.

M. Antonius Burchardus Jllust. Pæd.
SubRector.

DEFUNCTUS LOQUITUR.

MUNDE VALE: quanquam VALE dicere lin-
(gua refugit:
SED quia mens aliò gestit abire, VALE.

MUN-

MUNDE VALE; quanquam posthac vidisse juvabat:
SED quoniam Christus me vocat: ergò VALE.
MUNDE VALE; quanquam de te discedere triste:
SED mage læta vocant me loca, MUNDE VALE.
MUNDE VALE; quanquam exuvias tibi mando relictas:
SED quia parte abeo cum potiore, VALE.
MUNDE VALE; quanquam senium te vexat & urget:
DUM te vult Christus, MUNDE VALERE, VALE.

Valentinus Sperlingius Nobilis Megap.

DEFUNCTUS AD SVOS.

*CHare vale pater, & longum superesto tuorũ
Et decus orbatæ præsidiumq; domûs.
Non frangant animũ fortẽ jam funera nati
Altera: vel morbi tædia longa tui.
Non morimur: verum ante annos mactamur honore:
Quò tua tarda magis, gratior hora venit.
Vos longum; mea tu charissima mater: amicæ
Vos quoq; de nostro sanguine relliquiæ
Ergo valete: domus nostræ servate decorum:
Vestra memor vox hæc sit super illa mei:
Scilicet hunc nostrum super esse, ô fata dedissent
Sigfridum! nunquam degenerasset avis.*

Brun Otho à Rammin Nob. Pom.

PATER FILIO.

ET tu fili! eheu vana omnia! spes super una!
Tu vitæ invitæ tu mora sola meæ.
Jam jam nulla mora est: sequor & quò me rapis (adsum,
Tu me in complexus arripe Christe tuos.
Quò prodest mihi porrò seni diuturnior usus
Vitæ? quam ut videam funera plura mea?
Quin mea, quæ reliqua est mihi proles chara sepulchro
Condant & lachrymis jam senis ossa rigent.

Laurentius Reventlovv Nobilis Megapolitanus.

AD SPECTATORES FUNERIS.

QUos cernis madidis tergentes lumina villis
Ne temerè spectans ô bone, flere putes.
Unquam sunt aliàs si tristia funera ducta,
Certè ducuntur hæc miseranda satis.
Namq; senex juveni multùm materq; paterq;,
Dilectæ soboli tristia busta parant,
Hinc reliqui fratres lugent, planguntq; sorores
Germanum: & mallent quilibet ipse mori.

Tu

Tu verò ô juvenis quàm res incerta, memento,
Vita: DEo totus vive, memento mori.

Nicolaus ab Arnim Nobilis
Marchicus.

EPITAPHIUM.

SIGFRIDUS notâ natus de stirpe LUDE- (CûM
Mole sub hac lapidis contumulatur hu- (mo.
Hunc rapuit mortis vis præmatura: sub ipsum
Famæ & virtutis quod meditatus iter.
Longior huic ætas à Christo indulta fuisset:
In patre sed famam quam cupis, inquit, habes.
Ergo age noster ades: Nam vita hæc gaudia pauca
Quæ læteris habet, plura dolenda feret.
En pro SIGFRIDO Christi sententia vicit:
Sigfridus læta pace beatus ovat.

Philippus Ernestus à Rammin Nob.
Pom.

TV-

TVMVLVS.

Dormit in hoc tumulo SIGFRIDUS *no-*
(mine dictus
Natus LUDECO *qui genitore fuit.*
Aönias artes discens sudavit & alsit
Et timuit summum supplice mente DEum.
Hîc corpus recubat, recubant hîc molliter ossa.
Ast anima in cœlis gaudia vera tenet.
SIGFRIDUS *mundum* VICIT, *Sathanamq́, ne-*
(cemq́,
PACEM, *nam* CHRISTI *sanguine* VICIT,
(habet.

Condolentiæ ergò apposuit
Martinus Hennichius Côs. Pom.

